

Forfatter: Ewald, Johannes

Titel: Udrag fra PYROLOGIA SACRA SIVE DISSERTATIO CRITICO-SACRA DE IGNE (1763)

Citation: Ewald, Johannes: "Johannes Ewalds samlede skrifter", i Ewald, Johannes: *Johannes Ewalds samlede skrifter*, Gyldendal, (1969), s. 58. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-ewald03val-shoot-idm140321582820416/facsimile.pdf> (tilgået 02. maj 2024)

Anvendt udgave: Johannes Ewalds samlede skrifter

de eo evolue Hieronymum(d) Willalpandum(e) Hermannum Witsium(f) aliosque, qui pluribus de eo disserunt.

II) Post Sodomitas, Nadab & Abihu Aaronis filii, primi vindictæ divinæ ejusmodi pœnas dedere. Ignis à Domino erupit, eosque consumsit, ut coram Domino obirent. Ita Moses Lev. X, 2. Hic notatu dignæ veniunt duæ, quæ sequuntur, quæstiones. 1) Qvælis fuerit ignis, quo necati sunt? Resp. Talis fuit, qvallis est tonitru, qvòd in solida tantum, nec in rimis repleta corpora effectuose operatur. Illæsis enim, ut ex historia patet, vestibus, corpora non tam combusta, qvam suffocata reliquit. An immediate de cœlo, an ex ipso thuribulo egressus sit ignis, sub iudice iis est. 2) Qvodnam fuerit delictum Nadabi & Abihu, tam acerba morte dignum? Hac de quæstione, licet ad Pyrologiam nihil faciat, pauca tamen non monere non potui. Sunt, qui eos, sub ipsis sanctissimis actionibus, ebrios fuisse, existimant, idque ob istam, quæ pœnam eorum subsequitur admonitionem ad Aarōnem & reliquos filios ejus Lev. X, 9. 10. Sunt, qui sentiunt, eos in sancta sanctorum irruisse, id, qvòd ex collatione primi & secundi versus Lev. XVI. colligunt. Sunt denique, qui putant, eos vices summi sacerdotis, nulla nisi sua auctoritate suscepisse, in Sanctum intrasse, eoqve hanc pœnam meruisse delicto. Inter hos eminet Mr. le Clerc. Nobis certum est, magnum satis fuisse peccatum Nadabi & Abihu, licet in sola oblatione ignis alieni quærat, nam(a) Si contuleris Lev. IX, 24, et VI, 12; distincta Dei, de igne æterno, ad sacerdotes mandata leges. Lev. XVI, 12. Deus suffitum, qvem in sancta sanctorum portaret sacerdos, hoc igne accendi jubet. 2) Id qvòd Lev. X, 1. dicitur: Ignem alienum attulerunt, qvòd non jussum erat eis, idem

(d) Hieronym. T. V. in Ezech. XVI, 33. p. 432.

(e) Willalpand. in Ezech. XVI, 53. p. 60, 61.

(f) Hermann. Witsii Meletem. Leid. Comment. in Ep. Jud. v. 7, p. 475 & 476.